



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118030

§. 19. Concilium Westmonasteriense.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66406)

§. XIX.

Sæcul. XIII.
A. C. 1226.

Concilium Westmonasteriense.

Anno superiore Honorius Papa Otto-
nem Magistrum, in Angliam missum, *Math. Par.*
1225.

Henrico Regi literas, in quibus maximi
momenti negotia de Ecclesia Romana
continebantur, reddere iusserat. Reci-
tatis literis Rex respondit; non posse se
solum de rebus decernere, quæ ad om-
nes Clericos, Laicosque Regni sui per-
tinerent. Itaque exquisito Cardinalis
Stephani Langtonii, Archiepiscopi Can-
tuariensis, consilio, Nuncio S. Sedis si-
gnificavit, expectandum esse tempus
Conventus, quem Westmonasterium ad
Octavam Epiphaniæ convocaturus es-
set. Illa ergo die, Januarii decima ter-
tia, Festo S. Hilarii, Concilium, seu Co-
ncilium, *Idem 1226.*
Conc. to. II.

quibus multi Episcopi, *p. 303.*
aliique Prælati, mandata Papæ audituri,
cum Optimatibus interfuerunt. Tunc
Otto Nuncius publice Bullam recita-
vit, in qua eadem mandata, quæ Le-
gatus Romanus Clericis Galliæ, Bitu-
ricis congregatis, exposuerat, repete-
bantur. Quippe in hac Bulla Pontifex
summatim dicebat: *Diu est, quod Ec-
clesia Romana avaritiæ & cupiditatis
nota laboret, quia oblata recipit munera,
& nemo potest aliquod negotium in Ro-
mana Curia expedire, nisi magnam pe-*
ZZ 2 cuni.

Sæcul. XIII.
A. C. 1226.

cunæ vim effundat. Sed quoniam scandalum hujus & infamiae causa est Romana paupertas, Matris inopiam sublevare debetis, filii! nam nisi a vobis dona reciperemus, deficerent nobis necessaria vitæ, quod esset omnino Romana incongruum Dignitati. Ad istud itaque scandalum penitus eradicandum, adjuvanti consilio Fratrum nostrorum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, invenimus remedium, cui si volueritis consentire, a scandalo Matrem vestram poteritis liberare, & in Curia Romana, sine donorum impendio, exhibitionem Justitiæ obtinere. Petimus imprimis ab omnibus Ecclesiis Cathedralibus duas nobis Præbendas conferri, unam de portione Episcopi, & alteram de Capitulo. Et similiter de Cænobiiis, ubi diversa sunt portiones Abbatis & Conventus; a Conventibus, quantum pertinet ad unum Monachum, & tantumdem ab Abbate petimus.

His ita propositis, cum Legatus ad eliciendum Prælatorum consensum memorata in Bulla commoda, ipsis obtentura, adduxisset, seorsum ad colloquendum diverterunt. Tum vero Magister Joannes Bedefordensis nomine omnium respondit: *Domine, quæ nobis exposuisti, Regem Angliæ speciatim tangunt, generatim vero omnes Ecclesiarum*

Patro-

Patronos Regni, tangunt Archiepisco- Sæcul. XIII.
 pos, & eorum Suffraganeos, nec non in- A. C. 1226.
 numeros Angliæ Prælatos, quia ergo Rex
 agrotat, & Archiepiscopi non nulli, E-
 piscopi, multique Prælati absunt, respon-
 dere nec possumus, nec debemus, quod
 cum damno omnium absentium Prælato-
 rum fieret. His dictis venit Joannes
 Marecallus, aliique a Rege missi ad o-
 mnes Prælatos, qui Feuda directo jure a
 Rege tenebant, districte prohibentes,
 ne ea Romanæ Ecclesiæ obligarent, un-
 de ipse obsequiis sibi debitis privaretur.
 Quæ cum Magister Otto intellexisset,
 præstituit his, qui aderant, diem ibi in
 media Quadragesima, dum Rex adveni-
 re, ceterique absentes Prælati possent,
 ut tum negotium sortiretur effectum.
 Sed Prælati præsentibus absque Regis, a-
 liorumque absentium assensu præfixum
 diem admittere noluerunt, quare singuli
 ad propria reversi sunt (*).

Z z 3

§. XX.

(*) In Actis Conciliorum adjecta est in fi-
 ne hæc Adnotatio. Hæc ille (Mathæus Paris)
 apud quem, in eorum narratione, quæ ad Ro-
 manam Ecclesiam spectant, extant semper ali-
 qua maligni animi vestigia: Ut recte Cardina-
 lis Baronius, & Apamiensis Episcopus Spon-
 danus, aliique multi observarunt.